



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

Quibus modis accipitur dies. D

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**

Etio fuit antequam formaretur in amore conditoris. Formata vero est, quando conuersa est ad incōmutabile lumen verbi: Si vero corporalis fuit lux illa, quod vtiq; probabile est, corpus lucidum fuisse intelligitur, vel vt lucida nubes: quod non de nihilo, sed de præiacenti materia formaliter factum est vt lux esset, & vim lucēdi haberet: cum qua dies prima exorta est, quia ante lucem nec dies fuit nec lux, licet tempus fuerit.

*Quod lux illa facta est, vbi Sol apparet: qua in aquis lucere poterat.*

C

Si autem quæritur: Vbi est facta lux illa, cum abyssus omnem terrę altitudinē teget? Dicitur potest in illis partibus facta quas nunc illustrat Solis diurna lux, Nec mirum lucem in aquis posse lucere, cum etiam nautarum operatione sepius illustrentur: qui in profundum merfi, misso ex ore oleo aquas sibi illustant: quæ multo rariores fuerunt in principio quā modo sunt: quia nondum cōgregatæ fuerāt in vno loco. Facta est ergo lux illa, quæ vicem & locum Solis tenebat: quæ motu suo circumagitata, noctem diemque discernebat. Ibi ergo primum lucē apparuisse verisimile est, vbi Sol quotidiano cursu circumuect<sup>9</sup> apparet, vt eodē t<sup>9</sup> amite lux circumcurrēs ac primo ad occasum descēdēs vespērā faceret. deindē reuocata ad ortū, aurorā i. manē illustraret: & ita diuisit De<sup>9</sup> lucem & tenebras, & appellauit lucem diem, & tenebras noctem.

*Quod dies diuersis modis accipitur.*

D

Hic notandum est, quod dies diuersis modis accipitur in scriptura. Dicitur enim dies lux illa, quæ illo triduo tenebras illuminabat: & dicitur dies illuminatio ipsa aeris. Dicitur etiā dies spatium viginti quatuor horarum, qualiter accipitur cum dicitur. Factum est vespere & mane dies vn<sup>9</sup>. Quod ita distinguēdū est. factū est vespere prius, & postea mane: & ita fuit dies vnus expletus 24. horarum

*Aug. super  
Gen. 1. 6. 10.*

*Beda ut re-  
fertur in  
gl. ordina-  
ria ad illud  
Factum est  
vespere &  
mane. Gen. 1*

rum Dies, scil. naturalis, qui habuit vesperam sed non mane. Mane enim dicitur finis præcedentis, & initium sequentis diei, quod est aurora: quæ nec plenam lucem, nec omnino tenebras habet. Manè ergo primus dies non habuit: quia nec dies præcesserat qui sequentis diei initio terminaretur: & eo præcipuè, quia luce apparente, mox super terram plenus atque præclarus dies exitit: qui non ab aurora, sed à plena luce inchoavit: & mane sequentis diei consummatus est. Vnde Beda super Genes. Decebat, ut dies à luce inciperet, & in mane sequentis diei tederet. ut opera Dei à luce inchoasse, & in lucem completa esse significaretur. Reliqui autem dies manè habuerunt, & vesperam: quorum quisque à suo manè incipiens, usque ad alterius diei manè tederetur. *De naturali ordine computationis dierum, & de illo qui pro mysterio introductus est.* E

Hic est naturalis ordo distinctionis dierum, ut distinguantur atque computentur dies à mane usque ad manè. Postea verò in mysterio factum est, ut dies computentur à vespera in vesperam, & adiungatur dies præcedenti nocti in computatione: cum iuxta naturalem ordinem præcedens dies sequenti nocti adiungi debeat: quia homo à luce per peccatum corruit in tenebras ignorantie & peccatorum: deinde per Christum à tenebris ad lucem rediit. Vnde Apostolus: Eramus aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Primus itaque dies non ab aurora, sed à plena luce incipiens, & post vesperam paulatim occidit e luce excipiens manè sequentis diei, expletus est. Vnde Beda, Occidit e luce & paulatim post spatium diurnæ longitudinis inferiores partes subeunte, factum est vespere: sicut nunc visitato cursu Solis fieri solet. Factum est autem manè eadē super terram redeunte, & alium diem inchoante: & dies expletus est vni viginti quatuor horarum. Fuitque nox illo triduo omnino tenebrosa, quæ post creata sidera aliqua luce claruit. *Cur*

*Beda gl. or-  
dinaria ad  
illud idem  
Gen. 1. Fa-  
ctum est ve-  
spere & ma-  
ne dies unus.*